



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola,  
Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

21. Octobris. Voluntariæ paupertatis amator statuam induat, ut eodem  
vultu lacernam sustineat, quo byssum, & purpuram accepiset. S. Ignat.  
apud Maff.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

negavit omnes ei ferias , nec unquam tam  
eximio nos opere satiari voluit. Amando,  
ac in amore crescendo, beati erimus.

## 21. Octobris.

*Voluntaria paupertatis amator statuam in-  
duat, ut eodem vultu lacernam sustineas,  
quo byssum, & purpuram accepisset. S.  
Ignat. apud Mass.*

**H**umana cupiditas nunquam satia-  
tur, ejus terminus ubique est, & prin-  
cipium ubique : post plura, sunt alia, post  
alia, omnia ; post omnia, sua adhuc erunt  
avaritiae vota. Nunquam dicit sufficit. Bel-  
lua insatiabilis !

Quod natura nobis infudit malum, gra-  
tia corrigit, dum eo artificio naturae geni-  
um erudit, ut fastidire omnia, non modò  
contenta paucis vivere, sed & necessario-  
rum penuriam discat.

Adeò non sine remedio paupertas est,  
quod alia non concedunt artificia , dabit  
voluntas erudita, id est, voluntas sine cupiditate. Parum est, quod sufficit, cur ad super-  
flua extendimus cupiditatem ?

Quæ te vestis amiciat? quis verticem ga-  
lerus regat? quid interest? illa, si nuditatem

O s                      pro-

protegat , si hic contra solem, aut pluviam defendat, implevère officium; reliqua superfluunt, non dant , sed accipiunt ornatum.

## 22. Octobris.

*Dum operam virtuti navatis , simul salutis proximi consulitis. S. Ignat. Epist. ad Hisp.*

**M**eliùs locari tempus non poterat, quām dum suo instrumentum fini aptatur. Nisi acuat falcem messis, modica sub iactum seges veniet : adeò inter otia computandum minime venit, dum à messe feriatur.

Spiritus est, qui vitam dat actionibus iis, quæ internam proximi utilitatem respiciunt, sinè illo inefficax cadit opera; aures ferire , ad cor penetrare vox non poterit, quam eloquentia, non spiritus, animaverit.

Quod ænea machina ad omnes artis leges optimè instructa sinè igne , id plurimis naturæ dotibus præditus operarius agit, sinè spiritu, id est : omnis apparatus, conatus, & labores hærebunt irriti.

Nullus Apostolatus plus habet utilitatis , quām qui primū in se sui zeli vires exercet ; nemo tibi te proximior, quam in aliis